

ne in hoc casu nimis rigorosi sint, & laqueos hominum conscientias injiciant. *D. Gerhard.*

59. *An, deficientibus Ministris orthodoxis Ecclesiae, Copulatio Conjugatorum à Pontificio Sacerdote fieri possit?*

Disting. inter casum necessitatis, ubi impietas Ministri nihil derogat Sanctitati conjugii: & extra eam, ubi minimè concedendum.

60. *An adultera, post depositam mulctam ad adulterium rediens, in civitatem recipienda?*

Neg. ob *Deut. 22.* & scandalum manifestum. *Brunsvic.*

61. *Qua pena incumbat Marito, per se ad rem conjugalem non idoneo, Conjugi adulterium permittenti?*

Capite truncandus, etiamsi ipse cum Conjuge rem conjugalem non exercuerit, debuisset enim non ducere. Similiter & mulier ad idem supplicium damnanda. *Wittebergenses.*

62. *An rectè fiat, si juvenis amatam Sponsam, dissentientibus Parentibus, volente tamen Sponsa, clanculum alio versus terrarum abducat, & sibi copulari procuret?*

Neg. 1. Est enim species raptus. 2. Non est legitimum conjugium absque Parentum consensu. Objic. At volenti non fit injuria. Resp. (1.) Mulier non est sui compos, verum debet Parentibus obedire. Hæc igitur ejus voluntas est improba, & sic peccatum duplicatur. (2.) Jus Canonicum permittit, ut hoc fiat. Resp. sunt leges Antichristi, qui extollit se adversus Deum. Leges Civiles prohibent, idque rectius multò.

IN LOCO DE MORTE. THEOREMATA.

1. **M**ors dicitur secundum Augustinum à mordendo, qui omnes homines morsu consumit. Alii deducunt à mora, quod nullius conditionem moretur. Alii vero à Græco *μοῖρα*, i. e. fors, fatum, quæ sententia postrema non est inepta.

2. Homonymia est, quod notet rem mortiferam, 2. *Reg. 4, 40.* Calamitates & ærumnas, *Exod. 10, 17. 1. Cor. 15, 31. 2. Cor. 4, 11.* Regenerationem à peccatis, *Rom. 6, 2. 6. 11. 12.* Mortem impiorum in peccatis, *Luc. 9, 60. Col. 2, 13.* Mortem æternam, *Apoc. 2, 11. Job, 6, 50.* &

M m m m m 2

deniq;